



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 31. Tres Præsules a Pontifice Romana Purpura ornati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII.

A. C. 1721.

§. XXXI.

*Tres Præfules a Papa Romana Purpura decorati.**Guarnac.*
J. C. p. 395.

Postquam Pontifex die decima nona Maij ex Vaticano ad Palatium Quirinale equo vectus processerat, die vigesima ejusdem Mensis aperta Dataria Curia, quasdam Pontificum Constitutiones prælegi jussit, & Administratos ad earum observantiam jurejurando adlegit. Septima autem post die secretum, ut vocant, Consistorium habuit, in quo habita oratione latina pro sui electione grates rependens, sacræ Sedis jura se defensurum jurabat: Postea Pontifex die quarta Junii Dominicum Passionei Nuntium Apostolicum apud Helvetios, & Cardinalem Ruso die decima sexta Junii Legatum Bononiensem nominavit. Eadem die habito Patrum Senatu Fratrem suum Bernardum Mariam de Comitibus Benedictinum Congregationis Cassinensis Terracinensem Episcopum inter Presbyteros Cardinales tit. S. Bernardi ad Thermas adlegit, eumque Abbatia Serravallensi auxit: die autem decima sexta Julii Guilielmum Du Bois Gallum Cameracensem Archiepiscopum sexaginta duos annos natum ad Gallæ Regis preces, & Alexandrum

xandrum Albani Clericum Cameræ Sæc. XVIII, A. C. 1721.
 Apostolicæ in sacrum Cardinalium Col-
 legium invexit, plaudentibus omnibus
 Romanis, solo Falconiero Urbis Gu-
 bernatore excepto, qui Cameracensem
 Archiepiscopum sibi præferri quereba-
 tur. Ne autem ob nominis affinitatem er-
 ror contingeret, inter hosce duos Fra-
 tres Annibalem & Alexandrum Albani
 conventum, ut iste vocaretur Cardi-
 nalis Camerarius, hic vero Cardinalis
 Albani, & ambo cuncta suæ familiæ
 bona suo Fratri Carolo Albani cederent,

§. XXXII.

*Continuata Inquisitio in Alberonium
 Cardinalem.*

Cum sacrum Collegium securitatem
 impunitatemque Julio Alberonio Hist. univ. t. 8. p. 862.
 duntaxat pro futura Pontificis electione
 concessisset, Hic ea peracta ex Urbe au-
 fugere, atque in notis suis latebris se-
 curitati suæ consulere parabat: Pon-
 tifex vero eum Romæ subsistere, ac
 suæ causæ exitum, quin tamen ullam
 ministerii sui functionem exercere au-
 deret, quiete præstolari iussit, ac die
 decima septima Maij in Congregatione
 ad hoc specialiter erecta ejus causam
 discuti voluit: Alberonius vero aut
Hist. Eccles. Tom. LXXI. I suæ